





1.
2.
3.
/
/
/
/
2
3
y
i



1691.

1. Kortholt, Christianus: In Canonem Nicaenum Card.
Baronio et Bellarmino opposita exercitatio.
2. Stylius, Gies Aug: De matrimonio ex ratione
status.
3. Martini, Nicolaus: De jure prioritatis favorabilis

1692.

- 1^a Stylius, Gies Augustus: De proclamatione et
canone homicidae fugitivi.

1693.

1. Martini, Nicolaus: De titulo supereminente
- 2^a Musaeus, Simon Harrius: De teste singulari. } Sauff.
- 1693 - 1742
3. Reyperus, Samuel: De natura et jure aquarum
atque aquae ductuum.
4. Reyperus, Samuel: De natura et jure auditus
ac soni.
5. Reyperus, Samuel: De Euclide (Mathematico)

1693.

698. Shykius, Elias Augustus: De eo, quod iustum est circa
ludos scenicos operasque modernas. 2 Summ. 1693? 1696.

1694. Shykius, Elias Augustus: De iuramento purgatorio
in causis civilibus.

1695. Reutherus, Samuel: De tribus argenteis nummis
iisque unciatibus antiquissimis.

2. Shykius, Elias Jacobus: De domicilii mutatione

3. Shykius, Elias Augustus: De apprehensione delin-
entis fugitivi.

4. Shykius, Elias Augustus: De transactione super delictis

175. 1751
1751
CANTONEM

VICENUM

ADDD. BARONIO ET BELLAR-
MINO OPPOSITA

EXERCITATIO.

IN ACADEMIA HOLSATORUM
CHRISTIAN - ALBERTINA,

RESIDE

CHRISTIANO KORTHOLT,

S. Theol. D. Pro-Cancellario, & Pro-
fessore Prim.

publice recitandam

exhibet.

Ad diem III. Octobr.

NICOLAUS HOIER,

Tindera-Schlesia.

Typis Jo. R. summi, Acad. Typogr.

XCI.



1. Hypothesis, hinc abjecta: De eo, quod iudicium est in
 hinc abjecta operumque inordinata. 2. Sept. 1696. & 1696.
16. Hypothesis, hinc abjecta: De iudicamento purgatorio
 in causis civitatibus.
16. Hypothesis, hinc abjecta: De iudicamento publico in causis
 hinc abjecta antiquissimis.
2. Hypothesis, hinc abjecta: De iudicamento multationis.
3. Hypothesis, hinc abjecta: De iudicamento in causis
 hinc abjecta.
4. Hypothesis, hinc abjecta: De iudicamento in causis
 hinc abjecta.



Vol XIV. n. 15.

7632

37

IN
CANONEM
NICÆNUM,
CARDD. BARONIO ET BELLAR-
MINO OPPOSITA
EXERCITATIO.

Quam,
IN ACADEMIA HOLSATORUM
CHRISTIAN - ALBERTINA,
PRÆSIDE
CHRISTIANO KORTHOLT,
S. Theol. D. Pro-Cancellario, & Pro-
fessore Prim.
publice ventilandam

exhibet,
Ad diem III. Octobr.

NICOLAUS HOIER,
Tundera-Schlesvic.

KILONI,
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.
cl. l. c. XCI.

Per-Illustri^s & Excellentissimo
DOMINO,

DN. JOACHIMO
ab ALEFELDT,
Hæreditario Domino in Bock-
hagen & Olpenis;

Reverendissimi ac Serenissimi Ducis Regentis Schlesvici
& Holsatiæ Consiliario Provinciali, Regiminis Præsidi,
Consiliario item Intimo, Status, & Camerae, Supremoq;
Aulæ Ministro, nec non Præsecto in Tundern;

Domino, Patrono, ac Promotori suo
summâ cum observantiâ ad cineres usque
Colendo,

Hanc disertationem

In gratæ mentis tesseram humillime
& cum omnigenæ felicitatis voto offert

Nicolaus Hoier.



IN
CANONEM VI.
CONCILII NICÆNI
CONSPECTUS.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Canon 6. Nicænus
 II. diversimode a diversis accipitur
 & exponitur.
 III. Ei occasionem dedit Meletius
 Schismaticus.
 IV. Sententia ipsius genuina.
 V. Evertit Canon ille Monarchiam
 Papalem.
 VI. Rufini huc faciens interpretatio.
 VII. Cui suffragantur varia alia Ca-
 nonum editiones antiquæ;
 VIII. Indignantur autem Doctores
 Pontificii.
 IX. Eius auctoritatem frustra suspe-
 ctam facere conatur Baronius; tum
 ob stylum Rufini obscurum,
 X. XI. tum ob malam hujus Inter-
 pretis fidem.
 XII. Credibile nequaquam est, ausu-
 rum esse Rufinum in publicis scri-
 ptis de Pontifice Romano tamquam</p> | <p>de particulari Episcopo loqui, sed
 pro Oecumenico tunc ab Ecclesia
 fuisse habitus.
 XIII. Pro firmanda Rufini in presen-
 ti negotio fide suffragium Jo. Lau-
 noii & Hier. Alexandri.
 XIV. Bellarmini argumentum 1. con-
 tra Rufini interpretationem.
 XV. Ejus solutio. Bellarminus cum
 Baronio suo committitur.
 XVI. Argumentum Bellarmini 2.
 XVII. Responsio. Meletii actiones Schi-
 smaticas occasionem dedisse Cano-
 ni 6. Nicæno, ex ipsa Ecclesia Ro-
 mana agnoscunt, Baronius, Lau-
 noius, Allatius, Richerius, Lupus,
 Schelstrate, Marca, Sirmondus.
 XVIII. M. A. de Dominis lapsus circa
 Patrum Nicænorum intentionem
 & scopum obiter notatur.</p> |
|--|---|

A 2

XIX. 702



IN CANONEM VI.

- XIX. Vox ἐπειδὴ quid in Canone Ni- xxlix. Locus huc faciens ex Novel-
 cano sibi velit. la Justiniani 131.
 XX. Launoii pro nobis heic faciens te- xxix. De Canonis 6. Niceni initio,
 stimonium, & Leonis Allatii. cum quo in Synodo Chalcedonensi
 Paschasinus eum recitavit.
 XXI. xxii. Bellarmini absurda Nice- xxx. Rejicit illud tamquam spurium.
 ni Canonis expositio. Launojus,
 xxiii. Ei parum gratiæ conciliat xxxi. Richerius,
 Nicolai 1. ad Michaëlem Imper. xxxii. Valesius.
 epistola.
 xxiv. Nam & Nicolai exigua in ta- xxxiii. Si vel maxime genuinum
 libus est auctoritas; esset, Monarchicorum tamen cau-
 xxv. xxvi. et præterea ipse heic Bel- sam nihil juvaret.
 larmino prorsus adversatur. xxxiv. xxxv. Quo sine decretum
 xxvii. Natalis Alexandri suffragi- Nicanum in Chalcedonensi Synodo
 um, & Jo. d' Artis. Paschasinus adduxerit.

Canon 6. Ni-
canus.



Primæ illius œcumeni-
 cæ Synodi Nicænæ canon sextus,
 prout in Actis Conciliorum legitur,
 sic habet: τὰ ἀρχαῖα ἔθνη κεραι-
 τω, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πεν-
 ταπόλει, ὡς τὸν Ἀλεξανδρείας (al. ἐν
 Ἀλεξανδρεία) Ἐπίσκοπον πάντων τῶν ἐξ ἑστίαν
 ἐπειδὴ καὶ τῶ ἐν τῇ Ρώμῃ Ἐπισκόπῳ τῶτο συνηθές ἐστίν.
 Ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Ἀσιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρ-
 χίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ
 πρόδηλον ἐκῆνο, ὅτι εἰ τις χωρὶς γνώμης τῆς Μητροπολίτης
 γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸν τοῖστον ἢ μεγάλη Σύνοδος ἄριστὸν μὴ
 δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. Quæ ita transtulit Dionysius
 Exiguus: Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum,
 Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus
 horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ
 Episcopo.

CONCILII NICÆNI.

§

Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, ceterasq; provincias, suis privilegia servantur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitanæ fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.

II. Atq; hic ille Canon est, de quo peculiari dissertatione acturus Joannes Launojus. Theologus Parisiensis, in præmissa ad Raimundum Formentinum epistola sic præfatur: *Quæstio est de reëta Nicæni Canonis vi. intelligentia, quæ viros graves atq; eruditos, orthodoxos, heterodoxos, omnes acriter inter se commissos, diu multumq; tenuit, exercuit, fatigavit. Ingressi arenam multorum lucta nobilem, & quæstionem, quæ difficilis etiamnum ducitur, retractare, suum ad illam calculum adicere, lex nulla prohibet, si modesta interim servetur disceptandi ratio. Quin etiam invitata ipsa Veritatis indagatio, quæ fortassis adhuc dicat: Nondum est satis.* Sudarunt autem in Canone isto exponendo tot hucusq; Interpretes, non eodem, sed diverso, imo plane contrario consilio. Protestantes enim in eo se reperire existimant, quo vel solo concuti possit ac everti immensa illa nullisq; limitibus circumscripta auctoritas & potestas, quam suo hodie Pontifici Romana tribuit Curia. Hujus vero aseeclæ communiter, non modo nihil obesse Papali majestati Nicænum istud decretum, sed pro eadem quoq; stabilienda haud parum facere, multa cum fiducia disputant: tamen nec ipsi in illo interpretando, vel potius torquendo, conveniunt.

diversimode a
diversis acci-
pitur & expo-
nitur.

A 3

III. Ut



Et occasione
Meletius de-
dit Schismati-
cus.

III. Ut igitur de genuina tantopere controversa
Canonis sententia liquere possit, ante omnia occasi-
onem, qua ad eum condendum Nicæni Patres fuere
inducti, notari oportet. Illam vero schisma præbuit
Meletii, sive, ut Socrates & Sozomenus scribunt, Me-
litii, Lycopolitani in Thebaide Episcopi. Is enim
cum proxime ante coactam Nicææ Synodum, in Præ-
sulem, cui suberat, Alexandrinum insurrexisset, ejus-
demq; violatis juribus, passim in ipsius provincia
Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ordinasset (ut
constanter tradunt veteres ; quamvis de causa exci-
tati istius tumultus non satis consentientia scribant,
sed longe aliam Epiphanius prodat hæresi LXIIX,
σὺν ἁξίῃ puta de recipiendis Lapsis inter Petrum Alex.
& Meletium enatam ; aliam Athanasius Apolog.
II anti-Ariana, & Socrates Histor. Eccles. lib. I, cap.
VI, nempe idololatriam similiaq; crimina, ob quæ
Episcopatu dejectum esse ait Meletium, & suffragan-
te quidem Theodorito Histor. Eccl. lib. I, cap. VI,
qui tamen Hæreticar. Fabular. libro IV, | 7. præter-
quam quod ambitiosus fuerit, sive, ut loquitur, πὸ
τῆς φιλαρχίας εἰς δεξάμενος πᾶθος, nihil ei objicit)
cum, inquam, seditiose ita se gessisset Meletius, hacq;
de re certior fieret Nicæna Synodus, non modo ab
Ecclesiæ gubernaculis illum removit, factasq; ab ipso
ordinationes infirmavit (vide Socratem lib. I, cap.
IX, Theodoritum lib. I, cap. IX, Sozomenum lib.
I, cap. XXIV) sed & peculiari Canone, ne quis Alex-
andrini Antistitis jus Ecclesiasticum deinceps turbare
auderet, cavere voluit.

IV. Fa]

CONCILII NICANI.

7

IV. Facile vero hinc liquere arbitramur, quæ genuina sit, ex Patrum scopo omnibusq; circumstantiis non minus quam e verbis ipsis fluens, Canonis *πρωτου* *Ἰουλιανου* sententia. Nimirum uti alias ex malis moribus bonæ solent nasci leges: sic Meletii effecit importunitas, ut Metropolitibus generatim antiqua sua jura in Concilio œcumenico stabilirentur, ac de novo confirmarentur; speciatim vero Alexandrinus, cujus privilegia turbator ille violaverat, legitimæ possessioni restitueretur; & quidem in exemplar proposito Præsule Romano, illo Metropolitanorum primo atque antiquissimo: ut nempe, quemadmodum is unus subjectas sibi Ecclesias regeret, nec alias ulli Episcopos ibi ordinare, similesve exercere functiones sacras, integrum foret, sic ad ejus typum Alexandrino quoque Antistiti sua Metropolitana privilegia, sine cujusquam interpellatione, servari deberent illibata. Confer infra num. xxvi.

Sententia ipsius genuina.

V. Atq; hinc porro liquet, Canonem, de quo in præsentibus agitur, illam Pontificis creditam Monarchiam sacram evertere penitus. Nempe si alia non est potestas Romano Episcopo Ecclesiastica quam Alexandrino, utiq; illam non minus ac istam limitatam esse oportet, certisq; terminis circumscriptam: si æque Alexandrino & Antiocheno Episcopis cautum est, ne quis privilegia ipsorum violare debeat metropolitana, ac prospectum de eo erat Romano, certe nihilo plus huic in illos juris esse potest, quam illis in ipsum. Confer locum Leonis Allatii, quem damus infra num. xx.

Everte Canon ille Monarchiam Papalem.

VI. Sanè

Rufini huc faci-
ciens interpre-
ratio.

VI. Sane non aliter Nicænorum Patrum mentem cepisse celeberrimum illum Presbyterum Aquilejensem Rufinum, quam quod pro particulari Episcopo Romanum Antistitem habuerint, ex ipsius patet Historia Ecclesiastica lib. I, cap. VI. ubi nempe, summam eorum quæ in Synodo hac decreta fuerunt ordine recensens, sexto ipsius canone statutum esse scribit, *ut apud Alexandriam, & in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel (&) ille Ægypti, vel (&) hæc Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quibus verbis absolute Monarchia fautoribus litem irreconciliabilem indixit; ait Edmundus Richerius, Doctor Sorbonicus, Histor. Conciliorum General. libro I, cap. II, 13. quemadmodum paulo post hinc patere scribit, *illos frontem amisisse, qui negant, Episcopum Romanum ullam habere sibi privatam diæcesim adscriptam quam regat: quasi totus orbis Christianus eius privata & peculiaris diæcesis. que sunt, inquit, commenta adulatorum atq; hominum obnoxiorum, sua privilegia & immunitates contra jus commune & regimen Aristocraticum tueri volentium; ut efficiant, solum Papam esse Ordinarium Ordinariorum, & maxime proprium Sacerdotem.* Quidquid enim sit de numero & amplitudine Ecclesiarum Suburbicariarum; de quo a Salmasio, Sirmondo, aliisque operose disceptatum fuisse constat: utique determinatam sic & limitatam Romano quoque Episcopo jurisdictionem Ecclesiasticam tribui palam est: id quod nobis heic sufficit. *In Suburbicariis regionibus parum insisto, inquit, præfatus in suam de hoc*

CONCILII NICENI.

hoc argumento dissertationem, Launoius, quia multum insistere supervacanei laboris aucupium foret ac venasio. Nam quotquot viri graves atq; docti de suburbicariis regionibus edidere commentarios, inter se conveniunt, regionibus his nec Romanum orbem, nec Occidentem intelligi; sed in Ecclesiis dissident. & paulo post: Profecto noverant sapientes viri (de auctoribus loquitur qui centum circiter abhinc annis vixere) Ecclesias illas dici Suburbicarias, quæ suburbicariis regionibus plus minusve responderent: plus minus, dico: quia hæc perpendiculo & linea dirigi æstimatius non debent. Idem infra, coroll. xiv, ait: Sane Rufini versio vel explicatio lacerari magis non potuit, quam cum Suburbicariarum Ecclesiarum nomine vel Orbis totus, vel Occidens intellectus est, vel tota, quanta est, potestas Romani Pontificis. Comprehensa in Rufini versione, non ex anticipata opinione, sed ex moribus temporis, quo Rufinus vertit Canonem, intelligenda est. Incredibilis foret Rufini stupiditas, si per suburbicarias Ecclesias, quæ suburbicariis regionibus seu locis respondent, Orbem totum vel Occidentem significaret. Similiter Henricus Valefius, Observat. Eccles. in Socratem & Sozomenum libro III, cap. vii, scribit: Per Suburbicarias Ecclesias intelligit Rufinus eas, quæ sunt sub Episcopo urbis Romæ. Nam suburbicaria Ecclesia eodem modo dicuntur quo suburbicaria provincia. Ut ergo suburbicaria provincia appellantur quæ erant sub Vicario urbis Romæ: sic Ecclesia suburbicaria dicuntur a Rufino, quæcunq; subjacebant Episcopo urbis Romæ. Et quemadmodum provincia suburbicaria peculiarem constituebant diæcesin Vicarii

B

orbis



urbis Romæ: ita Ecclesia suburbicaria diœcesin constituunt Episcopi Romani. Verum qui fuerint termini hujus diœceseos temporibus Concilii Nicani, haud facile fuerit affirmare.

Cui suffragantur varia alia Canonum editiones antiquæ.

VII. Et certe, quæ Rufino suburbicaria Ecclesia sunt, suburbicaria loca dicuntur in prisca Canonum editione Latina, ante Dionysium Exiguum condita, quam ex antiquissimo Codice mscr. exhibet Bibliotheca Juris Canonici veteris Voellio-Justelliana pag. 284. eademq; à ipso p̄m̄v vocat Epitome Canonum antiqua, & Alexio Aristeno & Symeoni Logothetæ tribui solita, (cum neutrius forte sit, certe non illius, quamvis ejus illustrata extet Scholiis, idq; post Zonaræ quidem in integros Canones commentarios, ante Balsamonem vero, vel saltem eadem ætate) vocat civitates & loca quæ sunt circum Romam, Arabica Canonum compilatio, quam Jesuita Turrianus edidit, & altera, quam magni illius eruditorum fautoris Nicolai Peirescii beneficio nactum se esse ait Salmasius de Primatu Papæ pag. 104. Nec aliter versio Arabica Josephi Ægyptii, sub finem Tomi I magni illius Synodici Beveregiani exhibita; quippe Episcopo Romæ potestatem tribuens super regiones ac provincias ejus, & quidquid etiam ei (Romæ) adjacet: perinde ac editiones Alexandrina & Melchitarum Arabicæ potestatem ipsi dant super regiones & provincias Romanas, & quidquid iis propinquum est; apud eundem Beveregium in Annotationibus toti operi subjectis pag. 50. 51.

IX. Non

ix. Non igitur erat, cur Rufino tantopere succenserent Ecclesiasticæ Monarchiæ Patroni, nunc malitiam, nunc oscitantiam, hallucinationem, & nescio quid tandem non ei objiciendo. Nisi forte ipsos heic excusare possit quodammodo, quod non ita præter rem iudignari videantur viro, qui, sive ætatem ejus spectes, sive circumstantias alias, tribus illis, quibus Patrum Nicænorum mentem interpretatus est, lineolis plus Romani Præfulis affectato nocuit Suprematui, quam prolixis alii commentariis.

indignantur
autem Doctores
Pontificiæ

ix. Vixit nimirum Rufinus non multo post Concilii Nicæni tempora, atque ita, quid, quemve in sensum, hoc vel illud ibi Patres decreverint, longe rectius novisse potuit, quam qui post tot demum seculorum decursum mentem eorum ausi sunt interpretari. Fuit præterea ex Presbyterorum ordine, quibus utique præ ceteris omnibus constare debet, quæ genuina sit decretorum Synodicorum sententia, cum ad nullos propius hæc quam ad Clericos spectent. Quod vero patheticam adeo, suo more, de stylo Rufini obscuro & perplexo declamationem Baronius heic instituit, ad ann. cccxxv, 133. ex Hieronymo ipsi objiciens, quod sæpe non intelligere liceat quid loquatur, quodq; tantam habeat Græci & Latini sermonis scientiam, ut Græci eum Latinum, & Latini Græcum putent; id parum curamus. Quidquid enim cetera de Rufiniana scribendi ratione sit, heic sane suam is mentem ita perspicue expresit, ut a quovis intelligi facile possit. Nam quod particula *vel* pro & in Nicæni canonis repetitione utitur, nullas

Ejus auctoritatem suspectam facere conatur Baronius;

tum ob stylo
Rufini obscurum.

orationi ejus tenebras, ne quidem apud mediocriter doctos, affundere potest; cum notissimum sit, receptam fuisse ea ætate hanc loquendi rationem: quam nec ipsam Scripturæ S. Pontificiis authentice versionem refugere, ex Levit. xvii, 16. aliisque locis patet. Recte heic Launojus, in suam de argumento hoc dissertationem præfatus: *Nicæni Patres in condendo Canone, & Rufinus in vertendo, usi sunt eo sermone, quem nisi omnes, certe plerique, & intelligebant, & debebant intelligere. Id postulat cujuscunque legis naturæ & conditio. Id quoque expectandum est ab illorum bonitate & prudentia, qui legem vel ferunt, vel latam interpretantur publicæ utilitatis gratia. De affectata phrasi obscura & inusitata nemo supra centum abhinc annos conquestus est, aut conqueri potuit sine injuria Carthaginensis vi. Concilii Patrum, & Romanorum Pontificum, qui traductos a Rufino Nicæne Synodi Canones olim amplexi sunt, eosque in auctoritatem admiserunt.*

eum ob malam
hujus Inter-
pretis fidem.

x. Pergit vero & malam Rufini fidem accusare Baronius; *Omittimus, inquit, de eo hic referre recentiorum querelas de translatione Eusebii ab ipso perperam facta, in sugillationem hominis ignorantie & nimis licentiosæ libertatis: cum addiderit qua voluit, & alia ex animi voluntate deleverit.*

xi. Sed quamvis vera hæc esse nequaquam diffiteamur, longe tamen alia est ratio versionis Eusebianæ similive scripti, ac recitationis Canonis, de quo nunc agimus, Nicæni. Nam ibi nihil imminebat periculi Rufino, si vel maxime licentiosius aliqua tra-

traduceret, quædam adjiceret, alia omitteret: heic vero si idem, Presbyter cum esset, ausus fuisset falsa & a Patrum Nicænorum mente aliena expositione tantum creare præjudicium summo Pontifici, quem jam tunc universæ Ecclesiæ Monarcham fuisse volunt Rufini antagonista, ut ex œcumenico particularem faceret Antistitem, an ullo modo credibile est, impune id ipsum fuisse laturum? Nostra quando ætate in Gallia publicavit notissimus ille Jesuita Ludovicus Maimburgius, quæ Papali derogare videbantur Ecclesiæq; Romanæ dignitati, vah! quantas ea res concitabat turbas! quantum auctori enatum inde est incommodi! Quidquid etiam moneretur, nec imprudenter sane, ab iis quibus maxima alias in Curia ista auctoritas, non poterant sedari prius iræ, in quas Præsul irritatus exarserat, quam sui ex Societate ejectione sat gravem creditæ temeritatis pœnam daret Maimburgius. Et olim Rufino integrum fuisse putabis, palam limitare, doctrina sua, nullam alias limitibus circumscriptam Pontificis potentiam?

xii. Porro & hoc considerandum proponimus. Notum est, quanti sit, secundum hodierna Romanæ Theologiæ scita, momenti, doctrina de Primatu Pontificis; primatu, inquam, potestatis, quo omnes Christiani orbis Ecclesiæ, omnes, sine ulla exceptione, Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ, sub ipsius jurisdictione esse censentur. Card. Bellarmini aperta verba sunt, in suis de Pontifice libris præfati. *De qua re agitur, cum de Primatu Pontificis agitur? Brevissime dicam: de summa rei Christiana. Id enim*

Credibile non ausurū esse est, Rufinū in publicis scriptis de Pontifice Romano tanquam de particulari Episcopo loqui, si pro Oecumenico ab Ecclesia tunc fuisset habitus.



queritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero
 dissolvi & concidere. Quid enim aliud est, querere,
 an oporteat ab edificio fundamentum remove, a gre-
 ge Pastorem, ab exercitu Imperatorem, Solem ab astris,
 caput a corpore; quam, an oporteat adificium ruere,
 gregem dissipari, sydera obscurari, corpus jacere? Idem
 in data die xxix Septembr. anni clō lōc vii, ad Ge-
 orgium Blackvellum, Angliæ Archi-Presbyterum,
 epistola, Cum, inquit, de Primatu sedis Apostolica, vel
 turbando, vel minuendo, vel tollendo, satagitur, de ipso
 capite fidei amputando, ac de totius corporis omniumq;
 membrorum statu dissipando satagitur. Ita ille, post-
 quam paulo ante hoc de Papæ Primatu dogma unum
 ex præcipuis fidei nostræ capitibus ac religionis Catholice
 fundamentis esse affirmaverat. Jam si eadem fuit
 Ecclesiæ primæ de Primatu Romano sententia, qui
 ferre ea potuit æquo animo, ut summam rei Chri-
 stianæ sua illa Nicæni Canonis paraphrasi Rufinus tol-
 lere conaretur? qui potuerunt tolerare tot fidei
 Catholice Doctores ac defensores, ut ipsum fidei
 caput amputare auderet vir unus, præcipuumq; reli-
 gionis fundamentum concutere? Quando spargere
 satagebant Arius, Macedonius, Nestorius, Evtiches,
 similesq; Hæretici, quæ summæ fidei & religionis
 fundamento officiebant, totus mox Christianus or-
 bis in eos insurrexit, nec queivit prius, quam ora Se-
 ctariis istis essent obturata, imo quam dignitate sua
 dejecti illi essent, sedibusq; pulsi. Et Rufino sua
 adeo prospere cesserit temeritas, ut omnes Orthodoxi
 ad tantos ejus ausus tacuerint, quibus ipsum fidei ca-
 put

non debet
 adfuerit
 Rufinus in pu-
 blicis scriptis
 de fontibus
 Romano r-
 quam de pat-
 nicolai h-
 loco h-
 a pro d-
 nico h-
 clis h-
 h-
 h-

CONCILII NICÆNI.

15

put amputare, totamque religionem evertere nixus
esset, si eo tunc loco fuisset in Ecclesia, quo nunc est
apud suos, Romanus Pontifex? Id certe nemo di-
xerit cui sanum quidem est synciput. Concludimus
ergo hinc, communiter receptam fuisse tunc Eccle-
siæ de terminata certis limitibus Romani Præsulis
potestate sententiam, quam in sua Nicæni decreti
expositione Rufinus expressit.

xiii. Non possum, quin, quæ pro vindicanda Ru-
fini in præsentis negotio fide dixi, jam olim etiam
in edito anno clc lxx de Papatu Romano libro
vernaculo, capite iv, adversus Jesuitam Erbermannum
fusa a me disputata, nunc ipsorummet prudentiorum
Pontificiæ Ecclesiæ Doctorum testimoniis confir-
mem. Nimirum Sorbonista ille celeberrimus, Joan-
nes Launoïus, dissertationis suæ de recta Nicæni Ca-
nonis intelligentia cap. v, ubi dixisset, quod Rufinus
*Canonis Nicæni sensum reddere statuerit ex recepta
sui temporis apud Romanos disciplina; mox addit: Id
autem Rufinum versione sua executum esse fideliter, con-
stat; i. Quia causa nulla est, curegisset aliter. Quæstio
est de re, quæ non versatur in conditione juris, sed facti:
ac proinde, etiamsi voluisset, receptam disciplinam ali-
ter representare non esset ausus. ii. Rufinus gravissi-
mis reprehensionibus non caruit, nec caruisset, in re tan-
ta si fraudem ullam fecisset. At nullus ei dicam er-
roris scripsit, quod Nicænum canonem vi. male verte-
rit, & male vertendo, vel de veritate Canonis, vel de
auctoritate Romani Pontificis, detraxerit. Subjungit
deinde verba Hieronymi Alexandri Junioris, ex dis-
sertatio.*

Pro firmanda
Rufini in præ-
sentis negotio
fide futragi-
um Jo. Lau-
noïi.

de Hier. Alex-
andri.

sertationis de Regionibus Suburbicariis cap. III: Ego minime illorum accedo sententia, qui aut consultum mendacium tribuunt Rufino, aut hallucinationem. Cur enim lapsus in re eo tempore apertissima? aut quæ frons homini fuisset, ut adversus perspicuam veritatem deridiculo esse vellet? Sed & alia pro Rufino argumenta ibi habet Launojus, quæ apud ipsum auctorem legi possunt.

Bellarmini argumentum I. contra Rufini interpretationem.

xiv. Videamus autem nunc, quid contra objiciant quibus tantopere invisa est Rufiniana isthæc interpretatio. Primarius ille dignitatis Papæ, cujus & aliquando Candidatus erat, omniumque fervidissimus *περὶ* Card. Bellarminus, libro II de Rom. Pontifice, cap. XIII, §. At falsa, duo heic opponit. Unum sic habet: Si Episcopus Romanus est primus & præcipuus Patriarcha, quomodo credibile est, illi assignatam angustissimam regionem, aliis autem Patriarchis minoribus latissimam? Nam Antiochenus habuit totum Orientem; Alexandrinus tres amplissimas provincias, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim; Romanus autem habuisset tantum suburbanas Ecclesias, id est, sex Episcopatus Romæ vicinissimos?

Ejus solutio.

num. 6.

xv. Resp. Quæ fuerint & quot Suburbicariæ Ecclesiæ, quarum sollicitudinem Nicænæ Synodi tempore Romanum Episcopum gessisse Rufinus affirmat, de eo inter viros doctos disputari, jam supra monuimus. Bellarminus, dum arbitratur, per Ecclesias suburbicarias Rufinum non intellexisse nisi sex Romæ vicinos Episcopatus, contradicentem habet ex ipsa Romana Ecclesia multos illustres Doctores, inter quos hos illum suum Collegam, & Papalis fastigii competi-

petitorem, Card. Baronium; ut qui, de nostro hoc agens argumento, ad ann. ccc xxv, 135. postquam dixisset, vocum *Urbicarium & Suburbicarium*, adeo amplam esse significationem, ut non tantum excedat loca prope Urbem posita, sed etiam plures contineat provincias, tam in Italia, quam etiam extra Italiam sitas, & interdum etiam transmarinas; ac deinde notasset, Canonem *Urbicarium*, cujus in duabus Arcadii & Honorii Imp. Constitutionibus habetur mentio, debitum fuisse quoddam diversarum provinciarum, quo tenerentur conferre in Urbem annonam; quodque fuerint obstrictæ ad ejusmodi collationem aliqua Italiae provincia, itemque Sicilia, Africa, & Ægyptus, & si quæ alia; tandem subjungit: Sicut illa dictæ sunt provincia *Urbicaria*, quæ, Urbi debentes annonam, eidem peculiari nexu tenebantur obstrictæ: ita eodem exemplo constat esse pariter appellatas a Ruffino Ecclesias *suburbicarias*, quæ Romana Ecclesia diœcesi peculiariter præ ceteris viderentur esse subjectæ. Confer quæ habet idem ad ann. clv lvii, 19. seqq. Launojus, sæpius expresso loco, coroll. xiii, Bellarminus, inquit, *suburbicariarum Ecclesiarum Antistites summo cum errore subduxit. Quod si recte subduxisset, omnino abstinuisset ab illa comparatione quam instituit.* Junge quæ jam supra dixerat cap. v. Lubricum ergo nimis est fundamentum primum, cui innititur, Rufinianam expositionem impugnans, Bellarminus. Quam enim planum est, non nisi certa ac determinata loca per Ecclesias *suburbicarias* Rufinum intelligere, tam diffi-

Bellarminus
cum Baronio
suo committitur.



cile est dictu, in quantam se latitudinem illorum diœcesis ex mente ejus & sententia porrigat.

Argumentum
Bellarmini 2.

xvi. Alterum Bellarmini argumentum hoc est: *illa particula, Quoniam, rationalis particula est. Non est autem bona ratio, ut Episcopus Alexandrinus trium provinciarum curam gerat, quia Romanus Episcopus curam gerit suburbanarum Ecclesiarum. Igitur aut ratio Concilii nihil valet, aut non recte Concilii sententiam Ruffinus exposuit. Quod paulo post sic repetit, ubi Theodoriti, Balsamonis, & Nili explanationem, quod Rom. Episcopus totius Occidentis curam habere Nicæni Patres innuant, refellere conatur: Concilium, cum ait: Quoniam talis est Episcopo Romano consuetudo; reddit causam, ut diximus, cur debeat permanere antiquus mos in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, ut eorum locorum habeat curam Episcopus Alexandrinus. Non est autem causa huius rei, quia Romanus Episcopus habet curam Occidentis. Quomodo enim sequitur: Episcopus Romanus habet curam Occidentis; igitur Alexandrinus debet curam gerere Ægypti, Libya, & Pentapolis? Cur non totius Africae potius? aut cur non Ægypti tantum? aut cur Alexandrinus, & non Carthaginensis, aut aliquis alius, istam curam habeat?*

xvii. Resp. Mirum vero, tantas sibi difficultates Bellarminum in re tam plana fingere. Quæ causa fuerit & occasio condendi Canonis, de quo in præsentis agimus, dictum est supra num. iii. Nempe cum Meletii turbatoris temeritatem represissent Nicæni Patres, ne quid simile posthac accideret, sed
inviolata

inviolata servarentur Alexandrino Præsuli, quibus jam inde ab antiquo gavisus erat, jura metropolitica, sexto illo canone suo providere voluerunt. Idque agnoscit nobiscum Card. Baronius, ad ann. cccxxv, 123. Ubi enim de Meletii & Meletianorum excitatis in Alexandrina diocesi motibus egerat, *Hujus rei gratia*, subjungit, *sancta Synodus sextum canonem edidit, quo, secundum antiqua privilegia Ecclesie Alexandrina, vetuit, ne in Ægypto, Libya, vel Pentapoli, aliquis ordinaretur Episcopus absque ipsius Metropolitanæ scientia: quod etiam tertiæ sedi, nempe Antiochena, veteri consuetudine debitum, voluit custoditum.* Eadem prolixius docet & ostendit Jo. Launojus sub initium suæ dissertationis de recta Nicani Canonis vi. intelligentia. Suffragantur Leo Allatius lib. 1 de Ecclesie Orient. & Occident. consensione cap. xii, 1. Edmundus Richerius, Histor. Conciliorum General. libro 1, cap. 11, 12. Christianus Lupus, in Notis ad hunc Canonem, Emanuel a Schelstrate Antiquitatis Illustratæ parte 1, dissert. 11, cap. 1. Imo Petrus de Marca, omnes eruditos id fateri, scribit libro 1 de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 111, 12. Ut proinde mirari hie subeat Belarminum, virum utiq; eruditum, & verbis eum compellare doctissimi illius Jesuitæ Jacobi Sirmondi, Adventoriæ parte 11: cap. 1: *Sic disputas, quasi, Canonis ejus quæ fuerit occasio, aut cujus gratia conditus sit, penitus ignores. Atqui ex Synodi ipsius ad Episcopos Ægypti epistola, quam libro 1. cap. 1x. recitat Theodoretus, discere poteras, Meletiani schismatis causa*

Meletii actiones schismaticæ occasio- nem dedisse Canoni 6. Nicano, ex ipsa Ecclesia Romana agnoscunt, Baronius.

Launojus, Allatius.

Richerius,

Lupus, Schelstrate, Marca.

Sirmondus.

editum fuisse, ob Meletium Lycopolis Episcopum, qui καὶ ἑκάστην χώραν, ut narrat Epiphanius heresi LXVIII. καὶ καὶ ἑκάστον τόπον διερχόμενος, καθίστα κληρικὸς, Ἐπισκόπος τε, καὶ Πρεσβύτερος, καὶ Διακόνος, καὶ ὠκοδόμηται ἐκκλησίας ἰδίας. Clericos passim, Episcopos, & Presbyteros, ac Diaconos instituebat, privatasq; seorsim Ecclesias erigebat. Quæ cum adversus Episcopi Alexandrini jura tentari viderentur, morem antiquum retineri Synodus jussit, ut Episcopus Alexandria per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, summam habeat potestatem, pariq; modo & Antiochia & cæteris in provinciis sua Metropolitanis jura servari.

M.A. de Dominis lapsus circa Patrum Nicænorum scopum obiter notatur.

XIIX. Sane veram Canonis Nicæni originem istam & occasionem quisquis ignorat, vel non satis observat, hunc circa genuinam ejus sententiam labi facile posse, nequaquam imus inficias. Id quod, inter ceteros, etiam illi alias satis perspicaci M. Antonio de Dominis accidit. Qui tametsi multa heic contra Bellarminum, Baronium, similesque Monarchicos, recte & accurate disputet, libro IV de Republica Eccles. cap. II, mentem tamen Nicænorum Patrum in omnibus haud assequutus est, quando scribit, num. XIIX: *Sensus Canonis est, ut Alexandrinus non se extendat extra sibi signatas regiones, similiter & Antiochenus; quia Romanus quoque suum primatum ultra propriam regionem non extendit. Adducitur ergo Romanus primatus in exemplum obedientie & modestie, quasi dicant: Ne insolescat Alexandrinus ob Augustalem Præfecturam Laicam, quæ in illa arbe residet, ut propterea velit in toto Oriente dominari: siquidem*

deni etiam Romanus, qui est in urbe totius orbis domi-
natrice, suum primatum ecclesiasticum vixit plus ultra
Italiam extendit. Eadem repetit infra num. xxii,
xxiii, xxiv, scribens inter alia, loco primo: *Liceat*
Concilium Nicænum non assignet tunc primum limites
Ecclesiis Patriarchalibus, eos tamen replicat jam consue-
tudine assignatos Alexandrino & Antiocheno, ne excedant.
Ubi quam verum est prius, tam est falsum posterius.
Neque enim insolentia Alexandrini & Antiocheni,
quam metuerint, sed immodestia ac superbia Meletii,
quam is reapsejam demonstraverat, ad condendum
hunc Canonem Nicænos permovit.

xix. Atque hoc si recte observetur, si, inquam,
vera occasio & origo sæpius dicti Canonis probe
expendatur, quid sibi in eo velit vox *ἰπυδν*, quoniam,
nemini obscurum esse potest. Patrum videlicet mens
est: Quandoquidem Romanus Antistes subjectas
sibi veteri more Ecclesias sic gubernat, ut nemini
integrum sit, in jura ipsius irruere, & citra ejus
consensum ibi aliquem ordinare; justum quoque est
& æquum, ut Alexandrino etiam, qui non minus
ac alter ille Metropolitanus est, inconcussa mane-
at & inviolata sua jurisdictio Ecclesiastica, nec cui-
quam liceat in posterum, quod Meletius fuit ausus,
intra assignatam ipsi antiquitus diœcesin ordinandi
potestatem sibi rapere. Quod proinde ait Bellar-
minus, perperam hoc modo concludi: Episcopus
Romanus curam habet suburbanarum Ecclesiarum,
vel etiam totius Orientis; igitur Alexandrinus de-
bet curam gerere Ægypti, Libyæ, & Pentapolis;
id uti verissimum est, sic nihil omnino ad rem facit.

Vox *ἰπυδν*
quid in Cano-
ne Nicæno si-
bi velit,

C 3

Nec

Nec enim in Canone Nicæno potestas Alexandrini metropolitana, ejusque limites, primum constituuntur, ut Bellarminiana ponit argumentatio; sed cavetur dumtaxat, ne pridem constituta convellantur & perturbentur. Hac, inquam, ratione colligunt Nicæni: Episcopus Romanus antiqua consuetudine subjectarum sibi Ecclesiarum curam ita gerit, ut nemini fas sit in ipsius privilegia involare, inque ejus diœcesi Ecclesiasticos actus sine illius consensu exercere; igitur & Alexandrino sua in Ægyptum, Libyam, & Pentapolin, intemerata maneat jam olim accepta jurisdictio Ecclesiastica. Omnia certe hæc ita sunt manifesta, ut nesciam, quid tandem manifestius esse possit ac evidentius.

Launoii pro
nobis faciens
testimonium,

xx. Recte Launoius, dissertationis supra memoratae cap. iv: *Nicæni Patres canone vi. nihil decernunt novi, sed priscos duntaxat mores, quos Meletius in Ægypto conturbaverat, instaurant, & servari precipiunt.* Dixerat jam supra cap. i: *Ut pax in omni sanciretur Ecclesia, condendus fuit canon vi. quo antiquæ consuetudines unanimiter assererentur, retinerentur, confirmarentur.* Idem repetit infra cap. xiii, & coroll. x, xi, xiv, xv, xvi. Similiter in opusculo, quo suam istam dissertationem adversus Henr. Valesium propugnat, capite v ait: *Nicæni Patres de re quapiam nova statuenda in hoc Canone non cogitant, sed de asserenda & confirmanda veteri consuetudine, quæ, ut per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, sic & Rome, & apud Antiochiam, jam dudum invaluerat.* ac cap. vii: *Nicæni Patres nihil magis de Alexandrino Episcopo & An-*
tio.

tioceno, quam de Romano; nihil minus de Romano Episcopo, quam de Alexandrino & Antiocheno, statuunt. Antiquas consuetudines, quae ad Alexandrinum Episcopum, Romanum, & Antiochenum pertinent, confirmant equaliter; & aequalem omni ex parte confirmationem verba ipsa plenissime & aperissime important. Cumque dixisset Valefius: In hoc Canone non de solo Alexandria Episcopo, sed etiam de Antiocheno aliisque agitur Metropolitanis. Quid ad hos pertinuit Melesii schisma? respondet Launois: Ad Episcopum Alexandrinum directe pertinuit, ut probavimus; ad Romanum, Antiochenum & alios generatim nominatos, oblique, ut probatum imus. Cum jam proximus ardebat Ucalegon, praecidendum ante & praecavendum fuit, ne, quod malignus Episcopo Alexandrino nuper importatum fuerat, Romano & Antiocheno Episcopo progressu temporis importaretur. Scilicet ne antiquae Romani & Antiocheni Episcopi consuetudines in ordinandis Clericis, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & in erigendis Ecclesiis, perturbarentur, ut in Alexandrini Praesulis contemptum, & conflato schismate per Aegyptum, Libyam, ac Pentapolim turbatae fuerant, occasione data, praevissum & praecavatum est, cum Nicena Synodus communem Alexandrino, Romano, Antiocheno, & quibusdam aliis, Canonem edidit, & sic omnes ad seditionem Meletianae seditioni similem vias interclusit, vetustosque Romani & Antiocheni Praesulis mores sapienter occupato praesidio munivit. Nec aliter Leo Allatius, loco supra memorato: Non novam nos (Niceni Patres) eudimus, sed vetusta renovamus, & pravis hominum conatibus fere abolita restitui-

& Leonis Al-
latii.

miss

mus & precipimus observari. Sed quinam sunt hirtus restituendi? ὡσεὶ τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον τέτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, Alexandrinum nempe Episcopum, eorum quae in Aegypto, Libya, & Pentapoli sunt, habere potestatem, ut eorum dominus sit, ut ipse, neq; alius, in illis disponat. Ita enim ab antiquo aëvo in usu fuit, ut Patriarcha Alexandrinus illa moderaretur; ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ρώμῃ Ἐπισκόπῳ τέτο συνηδὲς ἐστίν, quandoquidem etiam Romano Episcopo in usu est; ut in sua nempe diœcesi solus ipse, nec alius, facultatem habeat. Quemadmodum enim Alexandrinus Patriarcha, a prima sui institutione, praescriptos suae diœceseos terminos habet, ita & Romanus Patriarcha: & quemadmodum Romanus res suae diœceseos pro arbitrio gerit & gubernat, ita etiam volumus ut in posterum agat Alexandrinus, nec in suo exercitio impediatur a quoquam. Imo ipse ille Bellarmini accerrimus defensor Jesuita Gretserus, contra Sutlivium heic disputans, Comoda, inquit, occasio Patribus visa est, si in Nicæno Concilio jura antiqua Alexandrino Patriarcha & aliis confirmarentur, ut eo efficacius ambitiosorum machinamentis obviam iretur. In Actis Concilii Ephesimi, act. vii, ita legimus: *Sancta Synodus dixit: Memor sit sancta Synodus Canonis sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum; qui CONSERVAT UNICUIQUE ECCLESIAE PRISCAM DIGNITATEM.* Vide Tomum v Conciliorum, pag. 781. edit. Paris. ann. XLIV.

Bellarmini
absurda Nicæ-
ni Canonis
expositio.

xxi. Quam autem absurda & ridicula citra ullam idoneam causam Bellarmino visa est Rufiniana Nicæni Canonis interpretatio, tam portentosa est reapse,
quæ

quæ ipsi & Baronio probatur, ejusdem omni etiam umbra probabilitatis destituta expositio: secundum nempe decretum istud, *Alexandrinum debere gubernare illas provincias, quia Romanus Episcopus ita consuevit, id est, quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum diffinitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis; sive, consuevit per Alexandrinum Episcopum illas provincias gubernare.*

xxii. Etenim quæ, sodes, hæc est interpretatio; τῶ ἐν τῇ Ρώμῃ Ἐπισκόπῳ τῶ συνθεῖς ἐστίν, idem esse ac: *Romanus Episcopus hoc consuevit permittere? Unde huc τὸ PERMITTERE? An legibus hermeneuticis conforme est, novas in textum voces interpretando infarcire, quarum nec vola ibi ante comparebat nec vestigium? Id sane si liceret, facillimum foret, pro lubitu affingere cuivis quidquid e re tua esse existimes, tametsi nunquam in mentem hoc illi venerit.* Equidem verba aliquando in oratione per Ellipsin omitti posse & solere, nemo ignorat: ceterum quando id fiat, & quænam verba illa sint, e sermonis contextu, scopo dicentis, similibusq; circumstantiis, adeo clarum est, ut nulla divinatione sit opus. At de permissione jam olim ab Episcopo Romana facta, quo Relativum τῶ referri debeat, ne sagacissimus quidem, a præconceptis opinionibus liber, aliquid odorari heic poterit: cum de nulla Alexandrini Metropolitanæ ab Episcopo Romano dependentia, cujuscumque tandem rationis ea sit, de nulla permissione, verum de jure quod ex anti-

D

qua

qua Ecclesiæ constitutione is obtinuit, Nicæni Patres unice loquantur. Et dicant nobis Monarchici, cum tot Concilia, tot Patres, tot Romanæ Ecclesiæ Doctores, Canonem VI. Nicænum adduxerint, exposuerint, & ad propositum suum applicaverint; quæ umquam Synodus, sive Generalis, sive Nationalis, sive Provincialis; quis Patrum, seu Græcorum, seu Latinorum; quinam denique ipsius Romanæ Ecclesiæ Doctores ante Bellarminum & Baronium, dictum illud decretum sic fuerint interpretati, ut, *συνήθεός ἐστιν*, idem sit quod, *consuevit permittere*? Hoc cum objecisset jam olim Bellarmino Sutlivius, eique responderet Jesuita Gretserus, non potuit sane is, in sua librorum Bellarmini Defensione, antiquiorem nominare auctorem, cui talis in mentem venerit expositio, quam Jesuitam Turrianum: quem demum circa medium superioris seculi vixisse constat. Unde ultro nunc cadit illa Bellarmini exceptio, quod Concilium non dicat: *Habet Romanus Episcopus hujus vel illius regionis administrationem*; sed: *Habeat Episcopus Alexandrinus curam Ægypti, & Libya; quoniam Romanus Episcopus ita consuevit*. Nempe licet *αὐτολεξεί* non dicat Concilium: *Habet Romanus Episcopus hujus vel illius regionis administrationem*; eo ipso tamen quod dicit, habere debere curam Ægypti Episcopum Alexandrinum, quoniam Episcopo Romano *ἵστο συνέθεός ἐστι*, quod certæ regionis vel regionum certarum administrationem & hic habuerit, manifesto indicat.

Si parum gra-

XXIII. Bellarminus quidem, ut suam, quam expendimus

dimus, interpretationem firmet, Papæ Nicolai testimonium advocat, qui eodem modo Nicænum Canonem in epistola ad Michaëlem intellexerit. Et fatendum sane, si in suas partes pertrahere Pontificem Romanum possit Cardinalis, magnum id pondus habiturum esse apud eos qui ipsius in docendo, interpretando, determinando, *ἀναμαρτυρία* agnoscunt. Ceterum si, adversus Protestantes agens, Papali auctoritate se munire nititur, frustra omnino est; cum eam a nobis non admitti constet.

tiæ conciliat
Nicolai ad
Michaëlem
Imper. episto-
la.

xxiv. Et peculiariter quidem ad Nicolaum I. quod attinet, vel ex illa ipsa ejus ad Michaële Imper. epistola, unde suæ patrociniū expositioni quærit Bellarminus, liquere, jam olim notavit doctissimus Salmasius, de Primatu Papæ cap. xii, pag. 191. *falsum esse axioma quod vulgo iactatur & creditur, Papam non errare.* Agit nimirum ibi de Synodi Chalcedonensis can. ix & xvii, quibus provocatio ab Exarchis dioceseon, sive Patriarchis, ad sedem Constantinopolitanā sancitur; quodq; constitutionē hanc ita torserit Nicolaus, ut non solū Romani Præsulis auctoritati non noceret, sed & pro illa faceret, his inter alia verbis indicat: *Nicolaus primus magna libertate, ne dicā audacia, ad se rapuit quod in honorem ac favorem Constantinopolitani fuerat constitutum. Novo expositionis commento callide id efficere conatus est, quod priores Papæ alia via expedire voluerunt: quibus satis fuit, dicere, Synodum Chalcedonensem ea parte a se improbari, qua privilegiis inusitatis & modum excedentibus Constantinopolitanam ornavit Ecclesiam.* Ille igitur Nicolaus in epi-

Nam & Nico-
lai exigua in
talibus est au-
toritas;

stola VIII. ad Michäelem Imperatorem, ut Canonica auctoritate defenderet, omnium Episcoporum causas pro-
 vocatione undique deduci debere ad sedem Romanam
 ut potiozem, hos ipsos Canones Chalcedonenses allegat, &
 eorum utitur testimonio. Sed bene, quod cum interpretatio-
 ne sua eos adduxit. Hoc nisi esset, nemo posset vel divinando
 assequi, quomodo in tam contrarium intellectum trahi
 daretur tam expresse & aperta significationis sententi-
 am. Et qua ratione, itidem in illa sua epistola, Ni-
 colaus Pontificem Deum esse doceat, eumque ve-
 rum, non nuncupative talem, ostendimus in Apo-
 theosi Papæa num. VII, IX. Parum proinde curan-
 dum, quid in illa tot absurditatibus scatente episto-
 la de Nicæno Canone Pontifex iste tradat.

& præterea
 ipse heic Bel-
 larmino pro-
 fus adversatur

xxv. Sed neque satis apparet, quo pacto Bellar-
 minianæ Cononis Nicæni interpretationi, puta quod
 verba ista: Ἰὼ ἐν τῇ πόλει Ἐπισκόπου Ἰστο συνθετός ἐστι,
 sibi velint: Romanus Episcopus ante omnem Concilio-
 rum diffinitionem consuevit permittere Episcopo Alex-
 andrino regimen Ægypti, Libye, & Pentapolis; ex di-
 cta Nicolai epistola robur quæri possit. Imo si pau-
 lo attentius considerentur Papæ verba, ut pro expo-
 sitione hac ea faciant tantum abest, ut potius con-
 tra illam manifesto pugnent. Ita quippe scribit:
 Si instituta Nicæne Synodi diligenter inspiciantur, in-
 venietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem
 Synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus for-
 ma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particu-
 latim, sumpsit exemplum.

xxvi. Ubi quod initio ait, Nicænam Synodum
 Romanæ

Romanæ nullum contulisse incrementum, nobis certe non adversatur, ut qui ultro admittimus, ceu jam supra num. xix sumus professi, nulla Nicææ privilegia Metropolitanis primum data, sed antiqua potius eorundem jura ibi stabilita, & contra temerarios turbatorum ausus defensa esse. Quod vero dicit deinde, Nicænam Synodum ex Romanæ Ecclesiæ forma sumpsisse exemplum quod Alexandrinæ tribueret, quid aliud posset præ se ferre, quam illud ipsum quod & nos tuemur, Patres videlicet Nicænos constituisse, ut eadem ratio esse debeat Alexandrini quæ Romani Episcopi? Certe expositionis Bellarminianæ nec vola heic apparet nec vestigiū. Ex Cardinalis enim hujus mente Canonis Nicæni sententia est, quod Episcopus Romanus ante omnem Conciliorum definitionem permiserit Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, Pentapolis. At Nicolaus eundem canonem sic interpretatur, non quod Episcopus Romanus permiserit vel dederit aliquid Alexandrino, sed potius, quod ipsi Patres Nicæni, formam intuiti Ecclesiæ Romanæ, ad hujus exemplum Alexandrinæ Ecclesiæ aliquid tribuerint. Quæ quidam verissima sunt: modo vox *tribuere* non de potestate in Ægyptum, Libyam, & Pentapolin, primū a Nicænis Alexandrino data, sed de jurisdictione vindicata accipiatur. Alias enim certissimum est quod Lanoius scribit. Nicolai locū hunc examinans, dissertatione supra memorata, coroll. x: *Synodus Alexandrinæ Ecclesiæ nihil quicquam ATTRIBUIT quod ante non haberet: confirmat antiquas illius consuetudines, quas*

Meletius violaverat. Quæ sic explicat in Propugnatione contra Valesium cap. VII: *Non contendo simpliciter, nihil Alexandrino Pontifici a Nicænis Patribus tributum fuisse; sed contendo, novum jus, quod antea non haberet, nullum Alexandrino Pontifici tributum fuisse.* Quidquid vero hujus sit, illud luce clarius est, non de eo Nicolaum loqui quod Romanus Pontifex Episcopo Alexandrino, sed quod Synodus Nicæna Alexandrinæ Ecclesiæ, idque ad formam Ecclesiæ Romanæ, sive ut in eo huic illa conformis, hæcque illius typus esset & exemplar, contulit.

Natalis Alexandri suffragium.

XXVII. Audiamus hac de re iudicium ipsius Doctoris Romano-Catholici Natalis Alexandri. Agens is de nostro Canone in selectis ad Historiam seculi IV Ecclesiasticam dissertationibus, *Nicolaus*, inquit, *Pontifex hoc nomine primus, adserit, ex forma Ecclesiæ Romanæ Synodum Nicænam sumpsisse quod tribueret Alexandrinæ.* At iste loquendi modus, ex forma, potius imitationem dicit, quam causationem; ut ipsis notum est Grammaticis. Non ergo sensus est Canonis, Episcopum Alexandria horum omnium habuisse potestatem, quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere, sive, quod Episcopus Romanus consuevit per Episcopum Alexandrinum illas gubernare provincias, uti perperam explicat Spondanus, abbreviator Baronii: alioquin sequeretur, ceteros Patriarchas Episcopi Romani Vicarios duntaxat extitisse; quod tam a veritate, quam a mente Patrum Nicænorum, est alienum, qui comparisonem Episcopi Romani cum Alexandrino instituere voluerunt. Eodem modo Nicolai mentem interpreta

preta

pretatur Johannes d' Artis, Professor Regius & Decanus Facultatis Juris Canonici in Academia Parisiensi, in Notis ad librum III operis Anti-Salmasiani de Divinitatibus & Ordinibus Ecclesiasticis.

& Jo. d' Artis.

XXIIX. Lucem accipere hæc possunt inde, quod & Imperator Justinianus Novella cxxxI, 3. patriæ suæ primæ Justinianæ Archiepiscopum sancit debere *in subjectis sibi provinciis locum obtinere sedis Apostolicae Romæ*, id est, tandundem habere juris, quantum habeat in subditas sibi provincias Romanus Episcopus. Videatur & heic paulo ante memoratus Johannes d' Artis, loco citato. Sed & pertinet huc Glossa Juris Canonici ad c. *Mos antiquus*, dist. LXV: *Dicitur in hoc Canone Nicæno, quod secundum antiquam consuetudinem honor proprius reservatur per suas provincias Alexandrino Patriarchæ: QUI SIMILIS EST ROMANO.*

Locus huc faciens ex Novella Justiniani I. conf. Novell. I. I.

item Glossæ Juris Canon.

XXIX. Patuit hucusque, opinor, plus satis, ipsis etiam arbitris Romanæ Ecclesiæ Doctoribus aliis, male cessisse Bellarmino interpretationem, qua sic exponere Nicænum Canonem est ausus, ut non solum Monarchiæ Papali non obesset, sed eam stabiliret quoque. Utitur vero idem alio adhuc effugio. Causatur nempe, Canonem Nicænum sextum, uti in libris vulgaribus extat, mutilum esse, eique principium hoc: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, ex Concilii Chalcedonensis Actione XVI debere restitui, ubi a Paschasino Episcopo sic recitatus fuisse legatur.

De Canonis 6. Nicæni initio, cum quo in Synodo Chalcedonensi Paschasinus eum recitavit.

XXX. Verumenimvero ex ipsa Romana Ecclesia
Joan-

Rejicit illud tanquam spu-

rium Launo-
jus,

Joannes Launojus, dissertatione jam supra non semel citata, coroll. XIII, de Paschasiana hac lectione agens, Canonis, inquit, initium cum verbis proxime sequentibus coherere debet. Non coheret; ut manifestum est. Verba haec: Ecclesia Romana semper habuit primatum, praeseferunt speciem tituli, quem Tabularius aliquis Romanus post Niceni Concilii tempus Canonis adscripsit. Et certe dubitari merito nequit, quin ante Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Celestini, & Leonis (aetatem) confusio quaedam & perturbatio acciderit Codici Canonum Romanae Ecclesiae. Sed sublata est illa postmodum confusio, dum Monachus Dionysius Codicem Canonum Ecclesiasticorum imperante Justiniano Romae confecit. In hoc codice verba illa non comparent: quia scilicet in Graecis exemplaribus, quae adhibuit, non comparebant. Ea si comparuissent, Dionysium sustulisse dictu nefas est. Verus Codex Canonum Ecclesiae Romanae, quem Hadrianus Papa comparasse, & in Galliam misisse dicitur, titulum illum neutiquam representat. Hadrianus porro is non fuit, qui de privilegiis sedis suae detraheret: ut interim omittam Nicolaum primum, qui Canonem citat sine ulla mentione verborum illorum, quae multum venditasset.

Richerius,

xxx. Similiter Edmundus Richerius, Historiae Conciliorum Generalium parte I, cap. IIX, 44. pag. 475. Quis, ait, prima fronte non observat, haec concepta verba: Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, ab aliquo adscripta fuisse pro argumento & lemmate VI. Canonis Niceni, & tum demum obrepisse in Canonem ipsum, quasi partem genuinam Canonis es-

nis efficerent? quandoquidem in genuinis & authentici-
 cis exemplaribus Canonum Nicænorum nusquam conspi-
 ciuntur: quæ genuina exemplaria habes, tum in Co-
 dice Canonum Ecclesie universalis, quo Patres Chalce-
 donenses utebantur, tum in Codice Ecclesie Latine, quem
 Dionysius Exiguus Latinum fecit, tum in sexto Concilio
 Carthaginensi, tum etiam in Tomis Conciliorum Petri Crab-
 be, Surii, Bini, atq; etiam editionis Romanae, nec non præte-
 rea apud Gratianum dist. os. can. Mos antiquus. Accedit &
 canon xvii. octava Synodi generalis, suasu Vicariorum
 Adriani PP. conditus, in quo verbum de verbo recita-
 tur Canon vi. Nicænus, atq; etiam explicatur. Procul
 dubio ipsemet Bellarminus atq; Binius sibi hujus obreptio-
 nis facile conscii, hanc vocem, quod, subduxerunt &
 subtraxerunt; quam tamen Paschasius pronunciavit, &
 Baronius ipse retinuit.

xxxii. Neque aliter statuit Henricus Valeſius. A Au-
 rus enim de Canone Nicæno vi. adversus Launoium,
 loco supra expresso, postquam reprehenderat in an-
 tagonista, quod, cum Canon Nicæni Concilii exponen-
 dus esset sicut a Nicænis Patribus est editus, ille primo
 quidem sensum Rufini investigaverit, deinde verba ipsa
 Nicænorum Patrum juxta eum sensum quem Rufini ver-
 bis tribuerat, exposuerit; ita pergit: Nos vero inter-
 pretationem Rufini in præsentiarum quidem omittimus,
 quippe quæ verius paraphrasis sit quam versio: ipsum
 vero Canonem, PRUT A TRECENTIS ILLIS EPISCOPIS
 PROMULGATUS EST, proponentes explicare conabimur;
 moxque Canonis verba Græce ac Latine, uti in
 Conciliorum Actis leguntur, & a nobis sub initium
 E hujus

Valeſius,

Marca.

hujus exercitationis recitata sunt, sine illo Paschasini additamento subjungit. Adde Petrum de Marca, dissertatione de Primatibus num. vi. ubi verba ista, quæ velut initium Nicæni Canonis vi. Paschasinus prælegit, tamquam *lemma* in antiqua interpretatione Latina manuscripta extare testatur.

Si vel maxime genuinum esset, Monarchicorum tamen causam nihil juvaret.

xxxiii. Et si vel maxime ut γνήσιον admittatur exordium istud, nihil tamen id juvabit Monarchicorum causam. Ecce enim, verba a Paschasino in Synodo recitata hæc sunt: ἡ Ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔχει τὰ πρωτεία. ἔχει τοιγαρὸν καὶ ἡ Αἴγυπτος, ὡς τὸν Ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχει ἐξουσίαν. Ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης Ἐπισκόπῳ ἴστω συνηθές ἐστίν. Ὁμοίως καὶ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρωτεία σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem (igitur) & Ægyptus, ut Episcopus Alexandria omnium habeat potestatem; quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in aliis provinciis, primatus habeant Ecclesie civitatum ampliorum (in Antiochia, & in aliis provinciis, primatus Ecclesie conservetur.)* Ubi vides, Alexandrinæ, Antiochenæ, similibusque metropolitanis, τὰ πρωτεία non minus quam Romanæ tribui Ecclesiæ. Cujus proinde πρωτεία si de potestate intelligi debent in omnes totius Christiani orbis Ecclesias monarchica, oportebit & illarum πρωτεία de tali primatu accipi: quod plus quam absurdum. Certe dum vox auditur *Primatus*, non statim concipienda est illimitata, aliqua & incircumscripta potestas

potestas Ecclesiastica; cum ipsi quoque Metropolitanæ Primatu suo fruerentur, docente Petro de Marca dissertatione de Primatibus num. vi. De nulla igitur jurisdictione œcumenica Paschasino heic est sermo, sed per *πρωτεύεια* potestatem ordinandi aliaque jura inuit metropolitana, eademque ceteris Metropolitanis æque ac Romano convenire Episcopo, ex Nicæno vult statuto demonstrare.

xxxiv. Nimirum nulla in Concilio Chalcedonensi mota erat quæstio aut controversia de honore ac dignitate Episcopi vel Ecclesiæ Romanæ, ut ideo opus habuerit Paschasinus, Leonis I Pontificis Legatus, ad Nicæna Synodi regulas provocare: sed aliud ipsum urebat. Scilicet cum olim in Concilio Constantinopolitano, canone iii, sola *πρεσβεία πρῆτης*, secundum puta a Romano Episcopo locum, Episcopo illius urbis, quod nempe nova Roma ea esset, sedesque imperii haud minus quam Roma vetus, congregati ibi Patres tribuissent, non contenta Synodus Chalcedonensis, honorem isthunc suo decreto confirmasse, jus præterea in Asiæ, Ponti, & Thraciæ Metropolitæ, antea *ἀκεφάλως*, & ordinandi in istis diœcesibus potestatem, canone xxix concessit. Hoc ferre non poterant Romanæ sedis Legati; sed omnem movebant lapidem, ne decretum istud sanctionibus Concilii insereretur, aut insertum approbaretur. Utque id eo obtinerent facilius, custodiendam Nicæni Concilii auctoritatem prætexebant, qua videlicet cautum erat, ut integra servarentur sua ju-

Quo fine decretum Nicænum in Chalcedonensi Synodo Paschasinus adduxerit.

ra omnibus Metropolitanis. Id quod fieri nequiret, si primatus Asiæ, Thraciæ, & Ponticæ diæceson Metropolitanis suis per aucta a Chalcedonensibus Constantinopolitanæ sedis privilegia adimeretur.

xxxv. Dixi, Legatos Romanos auctoritatem Nicænæ Synodi heic prætexuisse. Quid enim proprie spectaverint, fugere neminem potest, qui quidem hanc a Bonifacio, Legatorum uno, recitatam e charta instructionem Papalem consideraverit: τὸν ὄρον τῶν ἁγίων πατέρων μηδεμιᾷ ἐλατῆσθαι ἢ μειῶσθαι. φυλαττέσθω τοιαῦτα ἢ μετέρε προσώπα ἢ ἀξία πᾶσι τρόποις ἐν ὑμῖν. καὶν τινες τυχόν πεποιθότες δυνάμει τῶν ἰδίων πόλεων, ἀφροσαλεῦσαι ἐπεχείρησαν, τέρας ἐκβάλλεσθαι καὶ τὸ δικαίω πρέπον. *Sanctorum Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis persona nostra in vobis, quos vice nostra transmisisimus, dignitatem: ac si qui forte, civitatum suarum splendore (potentia) confisi, aliquid sibi ventaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* Nempe quia secundum dignitatem urbium æstimabantur earum Episcopi, veritus Leo, ne, si nunc propter urbium paritatem non modo paria jura & privilegia cum Romano obtineret Constantinopolitanus, sed & magis magisque exaltaretur, ac latius subinde fimbrias extendere pergeret, aliquando, florente scilicet Constantinopoli, Roma autem una cum imperio Occidentali ob Barbarorum irruptiones ac vastationes decrecente, & ad interitum vergente, ex eodem illo fundamento superiora sibi deposceret; totus in eo fuit, ut non solum

lum per Legatos, quos diximus, sed & per epistolas, ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, Martianum Imperatorem, Pulcheriam Augustam, Juvenalem Ierosolymitanum, & Maximum Antiochenum Episcopos, scriptas, irrita faceret quæ in Constantinopolitani favorem Chalcedone erant decreta. Quod quidem negotium felicius confici non posse arbitrabatur, quam si Nicænæ Synodi urgeret auctoritatem: cujus proinde Canones ita extollit, ac si non decreta Ecclesiastica positiva, sed jura plane divina, & *mansuras usque in finem mundi leges* proponerent. Videatur epistola ipsius li.

F I N I S.

ADDITAMENTA.

- i. Quando Moses Lunam, cum aliis stellis comparatam, vocat Luminare magnum, Gen. i, 16. non de quantitate corporis, sed de magnitudine lucis, id capi debet.
- ii. Verba Gen. iv, 15. non videntur intelligenda de signo ratione ceterorum hominum, sed respectu ipsius Caini; ut sensus sit, posuisse s. constituisse Deum ipsi Caino certum quoddam signum, e cujus intuitu, a nemine se occisum iri, cognosceret. Conf. Gen. ix, 12. ii Regg. xx, 8. seqq. vel etiam, posuisse Deum Caino signum, id est, edidisse miraculū Caini causa, quo de promissionis veritate is confirmaretur. Vide Judic. iv, 37. seqq.
- iii. *Dies luctus* Gen. xxvii, 43. (41) non notant dies quibus *lugere*, sed quibus *lugeri* debeat Isaac, id est, dies mortis ejus. Conf. Sirac. xxii, 13. iv. Male

iv. Male Vulgatus Latinus verba Gen. xxxiix, 5. היה בכזיב reddidit: *Parere cessavit*, Sua nimirum, Iudæ uxor. Repugnat namque verbum היה quod Masculinum est, & ad Judam refertur, non ad Suam: repugnat item Hebrææ linguæ indoli, ל' היה בכזיב & factum est in cessando a pariendo, h. e. dum cessaret parere; quod כזיב Infiniti formam non habeat. Est igitur כזיב nomen proprium loci. Quomodo & acceperunt LXX, transferentes: αὐτὴ δὲ ἦν ἐν χασβή, licet & ipsi perperam ex Masculino, quod est in fonte, Femininum fecerint. Qui error etiam in codices versionis Lutheranae hodiernos vulgares irrepsit, sed sine Lutheri culpa, utpote in cuius ann. cl' l' xxiv & xxxiv publicatis editionibus pro Sie legitur *Er*. quemadmodum & Saxonica anno cl' l' xxix Wittebergæ impressa translatio habet: *He was to Cheseb / do se en telede*. Quod tamen in editione, quæ Hamburgi, anno cl' l' xcvi, cura Davidis Wolderi, Pastoris ibidem Petrini, prodiit, mutatum est in, *Se was*.

v. Neutiquam nobis eorum probatur sententia, qui petitionem Naamanis Syri, ii Regg. v, 18. de præterito interpretantur. Ut enim alia nunc taceamus incommoda, cur, obsecro, tantum veniam petiisset Naaman idololatriæ in comitatu Regis commissæ? Annon a puero ille, totaque vita sua, & sic diu ante quam muneri suffulciendi Regis esset admotus, idola coluerat? Cur ergo idololatriæ, quæ diuturnior, magisque spontanea, mentionem

tionem non facit, sed alterius duntaxat, quæ non tam voluntaria, quam necessitate gesti muneris extorta possit videri? Inhæremus ergo nos Lutheri versioni. Quæ vero obviam iri possit quod inde extimescitur periculo, dicemus, ubi res tulerit, in conflictu.

VI. Joh. xii, 14. Lutherana versio hodie habet: **J**esus bekam eine Eselin; cum in fonte extet vox *ὄνδερον*. Verum error hic non ab ipso Interprete est; sed vel ab incuria Typothetarum, vel emendatorum ἀβλεψία. Nam Lutherus non scripsit: eine Eselin; sed: ein Eslin (quomodo diminutiva finire ipsi solemne est) sive Eslein; uti me docuit vetus quædam editio Jenæ olim inspecta, cujus tamen annum memoria nunc non siggerit.

VII. Voculam **E**rbſchlichter / quæ Luc. xii, 14. legitur, Concordantiæ Agricolaë per **E**rbſchlichter emendare conatæ sunt. At prior tamen vox probatur Emsero, Dietenbergero, Moguntinis, auctoribus versionis primæ Socinianaë, omnibus Germanici idiomatis sat callentibus. Vox **S**chicht nimirum, de hereditatibus usurpata, notat eine **T**heilung. Legunturque hodie etiamnum in Testamentorum formulis hæc & similia: **V**on denen Gütern soll nichts in die **S**chicht oder **T**heilung (der **E**rbſchaft) kommen.

IX. Lectionem Theophylacti Joh. vii, 21. *ἐν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τὸ*, ita probat Erasmus Schmidius, ut tamen addat, fortasse non dari

dari exemplum hujusipsius phræseos, θαυμάζειν
 διά π. Sed annon Marc. vi, 6. diserte extat ρῆσις
 hæc: ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπίστιαν αὐτῶν;

ix. Anxie inter Interpretes disceptatur, quid sit καλ-
 κολίβανⓄ, Apocal. i, 15. Quibus Codices vetu-
 stos inspiciendi benignior datur copia, annon ali-
 cubi, unica inserta litera κ, καλλοκλίβανⓄ lega-
 tur, inquirent. Sic enim res foret expedita.

x. Frustra est Samuel Petitus, quando tantopere
 sibi placet expositione illa sua loci Marc. ix, 15.
 quod fermentum Phariseorum & Herodis affe-
 ctum utrorumque notet præposterum: illorum
 quidem, videndi signum e cælo; hujus, videndi
 CHRISTUM ipsum, Luc. ix, 9. Etenim de doctrina
 Phariseorum sermonem Domino fuisse, palam ipse
 Spiritus S. testis est Matth. xvi, 12.

xi. Quot verba, tot fere sunt vitia in illo Zanchii
 pronunciato, lib. v de Natura Dei: *Non simpli-
 citer negamus, Bona Opera esse causam salutis: nem-
 pe instrumentalem potius quam efficientem causam,
 quam vocant sine qua non.*

xii. Merito sui temporis Inquisitoribus indignatur
 Lutherus, Tom. vii Jen. G. fol. 254. a qui-
 bus M. Johannes Wesalia damnatus fuit, quod
 dixit: *Scio Deum esse;* conformiter utique doctri-
 næ Apostolicæ Rom. i, 19. seqq.

xiii. Gottesfurcht & Furcht Gottes nequaquam
 ἰσοδυναμῶντα sunt.




ULB Halle 3
003 263 541




Sb.

7077







7632

37
4

IN
ONEM
ENUM,
ONIO ET BELLAR-
OPPOSITA
CITATIO.

Quam,
IA HOLSATORUM
N - ALBERTINA,
RÆSIDE
NO KORTHOLT,
o-Cancellario, & Pro-
flore Prim.
ce ventilandam
exhibet,
cem III. Octobr.

AUS HOIER,
era-Schlesvic.

KILONI,
Reumanni, Acad. Typogr.
clb lbc XCI.

